



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 9. Quid, ex vera Aristotelis, ac Philosophorum rectè sapientium
sententia, sit Fortuna & Casus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

etiamus; aliquantulum nobis Philosophandum est.

§. IX.

Quid, ex vera Aristotelis, ac Philosophorum rectè sapientium sententia, sit Fortuna & Casus?

Ex Aristotelis igitur, ac vero Philosophorum sensu, *Fortuna & Casus* numero causarum efficientium accensentur; etsi *causæ per accidens* debeant appellari. Pone eundem & architectum & Musicum. Architectus est *causæ per se* domus, Musicus dicitur *causæ per accidens* domus eiusdem; quia ars canendi coniungitur planè per accidens cum arte ædificandi, in architecto: adeò ut *per accidens* Musicus ædificet. Potest tamen & solet contingere, ut duæ causæ inter se quidem *per accidens* coniungantur, effectum tamen *per se* producant coniunctæ. Atque tunc dicuntur singulæ, ratione illius effectus, *causæ per accidens*, & *Fortuna*, vel *Casus*. Sic, ad inuentionem thesauri, concurrunt & ille, qui thesaurum defodit, & ille, qui effodiendo terram (agri alioqui colendi causæ) thesaurum inuenit. at qui defodit, & qui effodit, singuli sunt *causæ per accidens* inuentionis thesauri. Quare infossio, vel etiam effossio
illa

Aristot.

2. Phys.

tex. 39.

Vide & 5.

Phys. |

tex. 57.

illaterre, *Fortuna*, vel *Casus* appellatur. Quod utiq; est ratione thesaurum abscondentis, qui nō voluit thesaurum ab altero inueniri; itēq; etiam respectu thesaurum inuenientis, qui agrum colere, non thesaurum inuenire intendit. At Deus intendit, vt, vno thesaurum abscondente, & altero, alia de causa, terram fodiente, thesaurus & ab illo amitteretur, & ab isto reperiretur. Sic enim vtrique conducebat. Hoc igitur pacto, neq; *Fortuna*, neque *Casus* erat; sed ratione amittentis, pœna; ratione inuenientis, gratia. Disposuit ergo Deus, vt & infossio, & effossio concurrerent: qui concursus, aut quod complexum non est *Fortuna* aut *Casus*, sed est *caussa per se*, cum infossionem thesauri, & effossionem terræ, eodem loco, inuētio thesauri necessariò ac determinatè sequatur; sicut ex igne calefactio. Quod si infra Deum foret aliqua naturalis quoque caussa superior, quę vim haberet coniungendi has duas caussas, defossionem scilicet vnius, & effossionem alterius, ex qua inuentio thesauri sequitur, tum non diceretur illa caussa superior, *caussa per accidēs*, sed *caussa per se*; quemadmodum, si quis duos habens famulos, Petrum & Paulum, iuberet Petrum defodere

arcam

arcam auro plenam, & deinde Paulum juberet inibi effodere terram, non diceretur, ille Dominus *casu* thesaurum reperisse, aut *bonam Fortunam* habuisse; idque ob duas causas, primò; quia, ex intentione thesauri reperiendi, jussit Paulum effodere terram; secundò, quia per se, mediante Petro infodiente, & Paulo effodiente, ad inventionem thesauri concurrat. Quod sanè Deus, in omni *Casu* facit. Vnde, tametsi multa contingant *casu*, & *fortuito*, ratione agentium creatorum, secundarumque causarum, nihil tamen contingit *casu*, ratione Dei; qui multas rationes habet, cur illas causas *per accidens*, vel concurrere sinat, vel ipse coniungat. Atque hic concursus, seu ista causarum complexio, vna cum causa summa illas connectente atque ordinante, *Fatum* dicitur, quod Boëtius definit: *inherentem rebus mobilibus immobilem dispositionem, per quam divina Providentia suis quaeque nectit ordinibus.* Diuina, inquam, Providentia, non *caelum*, quod quidam putant esse causam per se connectentem alias causas inferiores.

Boët. l. 5.
de consol.
lat. prof. 6.

§. X.

Quodnam sit, inter Fortunam, & Casum, discrimen?

B

Sic